

III. *Fateri Allocutorem, quod fere omnes affirmant, inter nos & Reformatos haecenus dari fundamentalem dissensum: quod etiam, ad regulas Artic. III. positas si probe est examinaturus, verum esse, deprehendet.*

IV. *Vbi Artic. IV. de discrimine Articulorum fundamentalium & non-fundamentalium agitur, quaedam vera statui, quibus autem politicis necesse est unionem noviter tentatam cadere in irritum: quaedam vero falsa, quibus ruentibus non minus & ista concidit: quod data quidem opera seorsim meretur demonstrari. Qualia sunt: 'Nullum hominem determinare' posse, quid fundamentale sit, vel non; salvari hominem per media salutis posse, etsi eorum ingredientia ignoret. Nihil esse fundamentale, quod captum vulgi superet, & sine tricis Scholasticis efferi nequeat. Non esse necesse, ut numerus Articulorum fundamentalium determinetur. Tolerationem errantibus sensim sensimque veritatem insinuarere; consecraria, quae dissentiens non admittit, sine iniustitia nemini obtrudi: Non fundamentalius errari, quam in Articulis practicis, ubi tamen locum habeat tolerantia, & quae alia sunt, partim non sine cautela, partim nullatenus, admittenda.*

§. II. *Fundamentum fidei ea prorsus ne quidem tangere, in quibus Protestantes inter se dissentiant, tutius optatur, quam asseritur. Patebit enim deinceps, quod secus se res habeat. Neque interea male fit, quod, ubi dissentientes nova consilia de desiderio suo fraternitatis ecclesiasticae aperiunt, in consensum & dissensum inquiratur: etsi hoc jam saepius, non sine dissentientium convictione, factum sit a nostratibus. Vbi vero saepenumero de rigore suo remisisse praesentis aetatis Reformatos, profitetur Allocutor, praemonendum prius erat, utrum illud de omnibus, aut praecipuis, & quibusnam, intellectum velit? Nam si de nonnullis saltem loquatur, nondum ad unionem integrorum coetuum validum videbit argumentum: perinde ut, si qui nostratium inire aliquam concordiam, quomodocunque for-*

for-